

VINCENTIVS OBSOPEVS POETA.



Vincentius natione Germanus à teneris annis bonis literis operam dedit, & prima rudimenta feliciter percepit. postea ad doctorum virorum gymnasia accedens, Græcæ & Latinæ linguæ, & in primis arti Poëticæ diligenter incubuit, & talem in ijs sibi usum comparauit, ut nulli secundus esse uideretur. Itaque partim suis partim aliorum scriptis ab interitu vindicatis & in lucem editis, postea de literis optimè fuit meritus. Inter q̄ sunt Cōpēdiosa explicatio Græca incerti autoris in errores Vlyssis per contemplationem moralem, cum Græco Symposio Xenophontis, quam Hagenoæ anno millesimo quingentesimo tricesimo primo edit. præterea precationes Græcè per eum publicatae. Sic in Demosthenis orationes castigationes & diuersæ lectiones, uetusissimi cuiusdam exemplaris subsidio, collectæ. Annotationes insuper in quatuor libros Græcorum Epigrammatum. Extant quoq; Homeri aliquot libri Iliados, partim à Vincentio, partim à Nicolao Valla uersi, & Basileæ editi. Itaq; Vincentius præclaris suis studijs, atq; multis alijs Heroicis uirtutibus effecit, ut hoc loco inter præclaros Germaniæ uiros meritò recenseatur. Con. Geff.